



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Jus Canonicum Practice Explicatum**

Seu Decisiones Casuum Ad Singulos Decretalium Gregorii Papæ IX. Titulos,  
& ad Consuetum Referendi Modum accommodatæ

Complectens dimidiam Decretalium Partem, videlicet nonaginta duos  
Titulos, nimirum usque ad Titulum XX. Libri de Feudis exclusivè

**Pichler, Vitus**

**Ingolstadii, 1728**

Quæst. An Bigamus sit & irregularis, qui post susceptos Minores Ordines  
cum corrupta contraxit Matrimonium invalidè?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62305)

# TITULUS XXI.

## De Bigamis non ordinandis.

### DECISIO XXI.

De Minorista Matrimonium invalidum contrahente cum corrupta.

#### SPECIES FACTI.

Proteus Minorista post absoluta studia Theologica animum, quem prius ad statum Ecclesiasticum habuit, mutato proposito adjecit ad Matrimoniale, & in urbem quadam cum Lucretia defuncti Ludimagistri filia contraxit Matrimonium, atque hoc mediante ad spartam Ludimagistrali promotus est. Susceptis indè aliquot liberis innotuit, Lucretiam jam antecedenter fuisse carnaliter cognitam à germano fratre Protei, atque ideo Matrimonium cum ipsa propter

impedimentum affinitatis, ex copula illicita orta, nulliter fuisse initum. Latus detecta Matrimonii nullitate Proteus iterum statuit, repulsa putatitia conjuge, pristinum propositum exequi, ulteriorésque Ordines suscipere, sat diu, uti credebat, cum paupertate luctatus. Melius proin sibi fore ratus, si Parochum indueret, quam si porro in dura egestate pauperem regere ludum pergeret, totus inhiabat consequendis Ordinibus Sacris, sed injectus est ipsi

#### SCRUPULUS.

*An non sit Bigamus, consequenter irregularis, qui susceptis Minoribus cum corrupta contraxit Matrimonium invalidè?*

Non desunt gravia in speciem bigamiae contractae indicia. I. Ex c. i. b. t. ubi pro irregulari declaratur, qui invalidè duxit repudiatam

ab alio: ergo & ille, qui duxit invalidè corruptam ab alio, irregularis est; quia corrupta & repudiata quoad bigamiam contrahendam æquiparantur, nempe



nempe ob defectum significationis Sacramenti. II. Ex *c. fin. eod.* ubi Clericus propter defectum Sacramenti repellitur ab Ordinibus ulterioribus, & fufceptorum usu, qui invalidè contraxit Matrimonium cum vidua, licèt bigamus, scilicet bigamiâ verâ, non esse ibidem dicatur: sed cum vidua iterum quoad bigamiam & defectum Sacramenti comparatur corrupta: ergo. III. Ex decisione Rotæ Romanæ, quæ, licèt aliter sentiat de Laico, Clericum tamen in Minoribus constitutum, qui contrahit Matrimonium invalidè cum corrupta, irregularem pronuntiat. IV. Ex doctrina Antonii de Butrio & aliorum, bigamiam incurri contrahendo Matrimonium invalidè in omnibus casibus, in quibus incurritur contrahendo validè, asserentium: sed Proteus certò incurrisset bigamiam, scilicet non veram, sed interpretativam, si cum corrupta validè contraxisset Matrimonium, idque consummasset: ergo.

Sed, licèt hæc imperito, qualis erat Proteus, strupulum movere apta sint, bigamiam tamen à Proteo incurfam esse nullatenus evincunt. Nam sic argumentari rerum peritior possit: Irregularitas non contrahitur, nisi in casibus Jure expressis, ut habet certa Juris & Canonistarum regula ex *c. 18. de sent. Excom. in 6.* deprompta: atqui in Jure non reperitur expressa irregularitas pro nostro casu. Unde sic ulterius arguere licet: non datur alia bigamia, nisi vera, interpretativa, & similitudinaria, ut constans omni-

um habet sententia cum *gl. in c. 3. b. t.* sed in hoc casu nec datur vera, quia Proteus non contraxit validè cum duabus successivè: nec interpretativa, quia non contraxit cum duabus invalidè, aut cum una validè & cum alia invalidè, aut validè cum corrupta, quæ sunt tres species bigamiæ interpretativæ: nec similitudinaria, quia non contraxit cum una invalidè propter impedimentum dirimens, ex Matrimonio spirituali, quod per Professionem Religiosam, & Ordinem Sacrum ontur, seu ex voto solenni castitatis inductum; ex quo solo capite nascitur bigamia similitudinaria; nam Proteus nondum erat Subdiaconus, minus Religiosus, sed tantum Minorista.

In contrarium allata non stringunt. *In cit. c. 1.* teste Navarro est sermo de Presbytero, & *in c. fin.* de Subdiacono, adeoque non de Minorista, sed de talibus, qui voto solenni castitatis, adeoque matrimonio spirituali, jam ligati invalidè contraxerunt cum repudiata aut vidua. Decisio Rotæ Romanæ non authenticè constat: dein, si sic decidit, uti relatum est, fuit erronea, partim quia extendit Jura, quæ loquuntur de Clericis constitutis in Sacris, & sic impedimento Matrimonii spiritualis ligatis, ad Clericos in Minoribus constitutos, qui non ligantur Matrimonio spirituali, partim quia inter Clericos in Majoribus & Minoristas in hoc puncto nullum fecit discrimen, quod nulla ratione defendi potest, cum per Ordinum Minorum susceptionem nullum Matrimonium



monium spirituale cum Christo vel Ecclesia contrahatur, per quod incuratur inhabilitas ad Matrimonium carnale contrahendum. Quod DD. dicunt cum Ant. de Butrio, intelligendum est & procedit tantum de contrahentibus alterum Matrimonium, & consummantibus utrumque, quo casu fiunt

bigami, sive contrahant validè, sive invalidè: noster Proteus autem tantum semel, & unum Matrimonium contraxit, cum corrupta quidem, sed invalidè, & sic pro fornicatore tantum habendus; pro quo casu non reperitur irregularitas in Jure statuta.



# TITULUS XXII.

## De Clericis Peregrinis.

### DECISIO XXII.

De Ordinato non in dicecesi & loco originis.

#### SPECIES FACTI.

**A**rnulphus Serenissimi Electoris Bavarie, adhuc Gubernatoris Belgii, Officialis suscepit filium, nomine Maximilianum, ex Bertha adhuc soluta: Serenissimum autem Electorem in patriam reversum comitatus est Arnulphus relicto apud matrem filio Maximiliano, fixitque domicilium Monachii dicecesis Frisingensis, quod etiam Maximilianus post absolutas in

Belgio Lovanii humaniores litteras jam pubertatem & minores Ordines adeptus se contulit animo ibi perpetuo manendi. Postquam vero apud patrem Arnulphum per anni spatium moratus est, Ingolstadium venit, & superioribus Studiis absolutis Frisingam profectus ordinari petiit, non obstante, quod in Belgio natus & educatus sit. Unde consurgit



QUIÆ